

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.



C. I. N. D. N. I. C.

E I K A Σ

Ex

Libris Terribilibus delibatorum

Quam

Divina Adjuvante gratia,

Sub Præsidio,

V I R I

Magnifici, Nobilissimi & Consultissimi,

Dn. JOANNIS REBHAN,

JCti, Sacr. Cæs. Pal. Comit. Cap. Colleg. ad D. Tho-
mæ Decani, Facult. Jurid. Senioris, Cod. & Feud. Professor.

Ord. nec non diversorum Imper. statuum
Consiliarii, &c.

Domini Patroni ac Præceptoris
sui summè colendi

In Auditorio Publico Majori

Publicæ ac Solenni

Eruditorum disquisitioni submittit

JOANNES WALTHERUS REICH,

Tabern. Alsat. Author & Respond.

Die 6. Mensis Decembris Anno M DC LXXV

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS WILHELMI TIDEMANNI,

1675, 12

31



REVERENDISSIMO & SERENISSIMO
Principiac Domino,
DOMINO
FRANCISCO BERN-
HARDO,

Principi Nassoviæ, Comiti in Gassen-
ehlenbogen / Vianden & Dieß / Domino in Bietstein.
&c. Metropolitanarum Ecclesiarum Coloniensis,
Bremensis & Cathedralis Argentinensis: nec non
Illustri Ecclesiæ ad S. Gerionem Colonia, respecti-
ve Diacono Seniori, Camerario, Pincernæ Capitu-
lari & Canonico, Præposito & Archidiacono Em-
mericensi, Episcopatus Argentinensis lo-
cum Tenenti, &c.

Domino meo Clementissimo.

Reverendissime ac Serenissime Princeps,

PRINCEPS

ac Domine clementissime.

T Reverendiss. Serenit. hasce studio-
rum meorum Academicorum,
imprimis vero in studio Juris pro-
fectuum primitias, ea qua par est humilitate
atque devotione, Patrono maximo, cliens
fiduciaris venerans, offero atque consecro:
cui meo conatui, si cuipiam forte quid cul-
pæ subesse videatur, quod publice disputan-
di munus, ante annos, oneri huic pares, subi-
re : quodve tam levidense munus, tanto di-
gnatio-

A 2

gnatio-

gnationis Principi offerre non dubitarim; is
meminisse debeat, quod mola falsa litent,
qui non habent Thura: juvenemque studio-
sum tale quid audere tanto minus dedeceat,
quando magis deceat fructum studiorū suo-
rum viridem atq; adhuc dulcem promi, ubi
simul & venia, & spes superest, etiā juveni-
liter dicta, pro indole acceptum iri: quamvis,
cum *bona mentis sit, culpam agnoscere, etiam
ubi nulla est culpa*: tanto promptius culpam
ipse hic agnosco, quanto humillimè eam de-
precatus, apud T. Reverend. Serenit. causam
hanc facile peroratam fore persuasum habe-
am: quippe quæ novit, me nec temerariè nec
ambitiosè ad hoc ferri, sed unice in id inniti,
ut pium, gratum, omniumque in Avum,
patremque, nunc piè defunctos, olim, & ho-
dienum in me suum eorundem heredem,
virtutumque pro virili æmulum collatorum
beneficiorum memorem animum meum,
modo hoc, cum nondum detur alius con-
venientior, T. Reverend. Serenit. submis-
se contester. Atque hac spe fiduciaq; fretus,
hanc ex libris Terribilibus, dico, delictorum
&


& criminum, delibatam *Εἰκοδ'έν* sive pagel-
las has, meæ, qua Reverend. T. Serenit. humi-
limè veneror, devotionis indices, eidem de-
dicare, decentique cultu offerre volui. Cer-
tus de T. Reverend. Serenit. laudatissima, sed
nunquam satis laudata, qua omnes bonos
prosequitur, gratia ac benevolentia, eam,
quidquid etiam est, obsequiosi animi red-
hostimentum, serena & porrecta fronte at-
que manu esse accepturam. Quod super est,
Deum ter Optimum Maximum ardentibus
suspiriis adoro, ut Reverend. T. Serenit. Ec-
clesiæ, Reique Romanæ, nec non omnibus
bonis, mihi imprimis in præsidium & dulce
decus quam diutissime sospitem ac incolu-
mem, nec minus ex omni parte, tam felicem
quam felicissimam præstet ac conservet.
Scripsi Argentinæ, die 10. mensis Decembr.
Anno 1675.

T. Reverendissima & Celsissima Serenitatis


Devotissimus & addictissimus cliens

Joh. Waltherus Reich,
Author & Resp.





Præfatio.



Augustinus, nobilitatæ veritatis
 Historicus, teste *D. Augustino* 1. *de ci-
 vit. Dei*. 5. non minus benè quam sapi-
 enter, in illo, quem de conjuratione ca-
 tilinaria scripsit libro, in princ. monet:
*omnes homines, qui student præstare cæteris animantibus
 summa ope niti decere, ne vitam silentio transigant, veluti
 pecora.* Hujus præclaræ sententiæ perpetuò memor,
 nec non quod *nihil sit beatius quam scire, nilque felici-
 tati propius, quam discere*, teste acutissimo *Scaligero*. Ne
 itaque in juvenilibus adhuc meis annis hic impinge-
 rem, ausus sum ex libris terribilibus, sive delictorum
 & criminum, pro ingenii mei tenuitate, ac judicii im-
 becillitate, *Ἐκκαδὲν* hanc lemmatum juris delibare, e-
 amque eruditorum disquisitioni, publicè proponere
 non temeraria quadam mearum virium fiducia; sed
 ingenuo exercitationis, studiique veritatis amore.
 Itaque ut cuncta feliciter succedant, Deum Justissi-
 mum devote in vota hæc voco, ut cursum det felicem,
 cœptisque clementer annuet nostris.

Thesis I.

Libri terribiles ab Imp. in l. 2. §. 8. C. de Vet. I. E. cognominantur
 libb. Pandect: XLVII, & XLVIII. atque ideo, quod in il-
 lis

lis aga
 nariis
 naru
 nentu
 ceden
 fis eti
 X. de j
 disqu
 libare
 ordin
 Anim
 hoc f
 π. ff. a
 min.
 47. ff
 Vifu
 tis di
 dd. ll.
 à crim
 levior
 vocar
 & p
 tantu
 ni hu
 rum
 dam
 dica
 nns,
 & d.
 ded
 ut q
 men
 con
 gin
 tion
 mur
 len

lis agatur de delictis privatis, criminibusque tam extraordi-
 nariis, quàm publicis, simul etiam de omni severitate & pœ-
 narum atrocitate, uno verbo, quod omnia quæ in illis conti-
 nentur, & qua objectum, & qua formam, seu modum pro-
 cedendi, & qua effectum, seu executionem, sint terribilia, ip-
 sis etiam spectatoribus tremenda. *fac. l. 28. §. 15. de pœn. & c. 13.*
X. de jurejur. ex his, placuit, non nulla quæ adhuc ulteriorem
disquisitionem mereri videbantur, lemmata in sequentia de-
libare, & publicè disputanda proponere. Sit itaq; ex his hoc
ordine primum, an & quæ inter delicta, & crimina sit differentia?
 Animadverto enim, etiam majorum Gentium Jctos problema
 hoc sua opera dignum habuisse, ut *Cujac, 1. sent. Paul. 17. §. 1. & in*
π. ff. de privat. delict. in fine. Robertus 1. animad. 6. Ant. Matth. 17. de cri-
min. in prolegom. c. 1. n. 1. Dn. D. Tabor. 1. racemat. crim. th. 5. C. 1. A.
47. ff. 1. th. 3. Petr. Theodor. 1. coll. crim. th. 3. lit. D. & si qui sunt alij.
 Visum enim plerisque delictum tantùm de maleficiis priva-
 tis dici; crimen verò de publicis atrocioribus: ita enim *Cujac,*
dd. ll. ibi. delicta propriè sunt privata: Crimina verò publica. item, delicta
à criminibus sic subtiliter distingui possunt, quod delicta angustius sint errata
leviora, ἀμαρτήματα. Crimina verò facinora atrociora, seu ἐγκλήματα
vocari. Robertus verò, d. l. crimen statuit nomen generale esse, maleficia
& privata & publica continens: delictum verò specialius & de privato
tantum crimine dici. si conjecturæ hîc locus, videntur disputatio-
ni huic occasionem præbuisse, utriusque vocabuli etyma, ho-
 rumque diversæ interpretationes: Etenim vocab. *crimen* qui-
 dam deducunt à græco verbo *χρίνειν*, unde *χρῆμα*, judicare, ju-
 dicatum, ita ut crimen dicatur *πρὸς τὸ χρινομένον δια τῆς περικο-*
πῆς, ab eo quod accusatur & damnatur, sive, quod accusabile
 & damnabile est. *confer. Joh. Funger. in etymolog. h. vocab. Alij verò*
 deductum dicunt à verbo latino, *cerno*, quod est contendo, ita
 ut quemadmodum à composito *discerno* descendat vocab. *discrimi-*
men: sic à simplici *cerno* dicatur *crimen* quasi cernimen, quod per
 contentionem alicui obiicitur, & dijudicatur. *Isidor. 5. Ori-*
gin. 24. crimen dicit à carendo nomen accepisse: Verum qua ra-
 tione, ipse noverit: nobis eam non liquere, ingenue confite-
 mur, sed nec moramur. sic quoque *delictum*, inter omnes qui-
 lem convenit, nomen verbale esse, & à verbo *delinquere* deri-
 vari.

vari, sed non æque, quo usurpetur significatu, quem hunc, & quidem ex usu veterum tradunt *Beckmann. tr. de origin. V. ecclipsis* & cum eo *Dn. D. Tabor. d. i. racemat. crim. th. 5.* quod delinquere idem significet ac deficere: unde etiam *deliqua* & *reliqua* in rationibus sibi invicem opponi & dici, ita ut hæc dicantur, quæ supersunt & remanent: *deliqua* verò quæ deficiunt, *wann mehr außgeben als eingenommen.* *Festus lib. 4. voc. deliquium.* & cum eo *Clarif. Buchner. in Thesaur latinit. h. v. delinquere* dicit, idem significat, quod prætermittere, scilicet id, quod non debebat præmitti, aut præteriri: hocque significatu delicta à *Philosopho 5. Eth. 7.* dici *συναλλαγματα ἀκόσια*, negotia ex quibus quis citra consensum præter intentionem obligatur, quasi per imprudentiam & incogitantiam quidpiam non animadvertisset aut cavisset: Denique alij tradunt, delinquere idem significare quod deserere, normam scilicet recti, justi, ac æqui, atque sic in enormitatem declinare, deflectere, secedere: quæ derivatio tanto magis probatur, quod etiam *S. Johannes Apostolus in Epist. 1. c. 3. v. 5. ἀμαρτίαν* definit per *ἀνομίαν.* Ut autem per nos cuilibet in hujusmodi derivationibus licet esse ingenioso, apparet tamen ex modo allatis, cur nonnulli maluerint vocab. *delictum* appropriare maleficiis minoribus, sive privatis: *Crimen* verò voc. atrocioribus facinoribus: adeo ut ipse etiam *Cicero 2. de invent. item D. Augustin. ad Evang. Johan. cap. 8. tract. 31. & ex hoc Gratian. in can. 1. Dist. 81.* idem tradiderint, quando delictum definiunt, boni omissionem; peccatum verò actum pravum, atq; hætenus delicto gravius quid esse, quatenus necesse sit, eum, qui peccat, prius delinquere: crimen verò esse atrocius commissum, accusatione & damnatione dignissimum. Et sane, si, quam urget *doctissimus Cujac. d. l. ejusq; expilator Borchold. ad c. un. quæ sint regal. n. 62. 2. Feud. 56.* sequamur *ἀνεπίβουτον* horum nominum Grammaticam, inficiari nemo poterit, subesse talem quempiam differentiam, quam tamen postea usus, penes quem est norma loquendi, sustulit, & hæc vocabula Synonyma fecit, ita ut utroque, quodcunque factum turpe, & lege, maximè naturali admittere prohibitum, maleficium, flagitium, facinus, scelus comprehendatur: & quamvis postea quædam maleficia atrociora certis sanctionibus specia-

spec
in ea
nem
per
ceri
freq
crim
sed
passi
ex de
ult. f
itaq
tribu

O
stan
prob
Dix
inte
sive
cert
quo
Stur
one
l. 18
14.
mo
plan
5. ff
virg
max
inte
hun
qui
del

specialiter propterea latis, ut publicè & certis pœnis definitis in ea animadverteretur, in peculiarem speciem & appellationem, *publicorum nempe judiciorum*, transferint, præque cæteris ac per quandam excellentiam, nomen criminum sibi solenne fecerint, delictorum verò vocab. maleficiis & noxiis privatis frequentius atque sic peculiare manserit: quamvis nec hoc discrimen, hancque terminorum horum usurpationem perpetuam; sed sæpe delicti & criminis vocab. promiscue usurpata fuisse; passim in libris Justinianeis videre est, ut in *S. 7. Inst. de obl. qua ex delict. nasci. l. 1. ff. de publ. jud. l. 3. ff. ad 3C. Turpil. l. 1. in pr. & S. ult. ff. l. 19. C. de pœn. l. 1. l. 2. C. si adv. delict. l. 2. S. ult. de re milit ut itaque ex his nunc appareat, quo significatu eadem in sequentibus nos accipiamus & usurpemus.*

II.

OMne itaque crimen aut delictum, sive eo Respublica, sive tantum privatus lædatur, ut obligatio ad pœnam substantiam capiat, requirit. I. Rem, sive *factum* II. hocque *jure prohibitum*, & denique III. proposito seu *dolo malo* perpetratum: Diximus requiri rem seu factum, sensu scil. complexo, ita ut intelligamus simul & subjectum passivum h. e. corpus delicti, sive in quo nocitum esse dicitur: hoc enim ante omnia tam certum esse debet, quam certissimum: & subjectum activum, quod damnum dedit sive injuriam fecit: & quidem per actum quempiam externum & ultimum: nuda enim cogitatione nemo jure humano delinquit. *l. 1. S. 1. quod quisq. jur. in al. l. 18. ff. de pœn. & ibi Gothofr. in not. lit. p. nec pœnam patitur. canon. 14. de pœn. distinct. 1. ubi gloss. quamvis nec actus delinquendi remotior sive primus, immo nec omnis delinquendi conatus planè impunis sit & habeatur, uti mox dicturi sumus. confer. l. 5. ff. ad l. Jul. Majest. l. 1. S. 1. ad l. Cornel. de Sicar. l. un. cod. de rapt. virg. Ord. crim. Carol. V. art. 178.* 2. factum, hocque turpe & maximè jure naturali prohibitum, hoc est, maleficium. Nec interest hîc, utrum id contra DEum, sive hominem, & quæ hunc, utrum contra semetipsum, aliumve tendat: Contra verò, qui jure suo utitur, uti nemini facit injuriam, ita nec hoc ipso delinquit; etiamsi in alterius damnum vergat. Denique 3,

B

quod

quod factum id fiat ex proposito, hoc est, dolo malo sit perpetratum. *l. 11. §. 2. de pœn.* quemadmodum enim contrahendo quis voluntate & facto suo alteri ad præstandum quid obligatur, ita quoque qui sponte sua delinquit, se ad pœnam obligare intelligitur, *l. 34. ff. de iure fisci.* Confer *Magnificum Dn. Præsidentem in Hodegeta. p. 602. & seqq.* Ex quibus in super & hoc apparet, omnes illos, & tantum delinquere, & exinde ad pœnam obligari, qui quod agunt, intelligunt & doli sunt capaces, mares & fœminas, etiam prodigos & minores. *fac. l. 57. ff. de Minor. l. 7. §. 1. de iurisdic. l. 2. l. 9. ad l. Aquil. l. 7. C. de pœn.* non autem illos, qui usu rationis & intellectu carent, ut mente capti, furiosi, scilicet si sint in continua mentis alienatione: secus enim si furor sua habeat dilucida intervalla & moramenta, perque id tempus quid faciant. *fac. §. Inst. quib. non est permillum testamen. fac. l. 9. cod. eodem. §. 8. Inst. de milit. testam. l. 3. §. 1. de injuriis l. 12. ff. ad l. Cornel. de Sicar.* item infantes, ceu qui, quatenus pariter non intelligunt quid agunt, non multum à furiosis distant. *§. 9. Inst. de inutil. stipul. l. 9. de acq. hered.* sanè is quoque delinquere dicitur, qui licet ipse immediatè nihil faciat, modo alteri, ut delictum quoddam committat, mandet. *l. 11. §. 3. ff. de injur. l. 15. C. ad l. Cornel. de Sicar.* aut alteri delinquenti ope & consilio adsit, *l. 54. §. 4. de furtis. Ordin. crim. Carl. V. art. 177.* aut cum prohibere potuit, non tamen prohibuit, sed fieri permisit. *l. 6. ff. ad l. Ful. Majest. l. 6. ff. ad l. Pomp. de paricid. l. 9. §. 1. ff. ad l. Corn. de fals. l. un. Cod. de raptu virg.*

III.

QUAMVIS autem, quod diximus, delicta & crimina hæcenus unius generis sint, & ex re tantum sive maleficio obligatio ad pœnam nascatur, attamen in utrisque diversi sunt delictum committendi modi, & formæ: nec enim tantum facto perpetratur, e. g. contrectando, cædendo, corpus violando vel membrum mutilando, *l. 16. de pœn.* verum etiam dicto, e. g. convitiando, mala fide advocando *d. l. 16. de pœn. in prin.* prævaricatione, testimonio. *l. 1. ff. ad l. Corn. de fals.* item scripto & libello famoso. *l. 5. §. pœn. ff. de injuriis. l. 16. de pœn.* ipso etiam conatu delinquimus & ad pœnam obligamur, maxime effectu secuto: & licet effectu non secuto, non ad pœnam

nam ordinariam. *Mynsing. 3. obs. 9.* attamen ad extraordinariam etiam conando obligamur. *Mynsing. d. loco Menoch. de Arbit. iud. Quest. l. 2. cent. 4. casu 360.* in delictis enim non tam exitus, quam animus & voluntas spectatur & attenditur. *Carpzov. prax crim. q. 1. n. 17. l. divus Hadrianus ff. ad l. Corn. de Sicar. cujus hæc verba sunt: in maleficiis voluntas spectatur, non exitus. Mynsing. 3. observ. 9. Clarus S. fin. q. 92. & S. læsæ Majest. num. 15. Menoch. de Arbit. jud. lib. 2. cent. 4. casu 360. Gomez. variar. Resolut. tom. 3. c. 3. n. 30.*

IV.

Videamus nonnihil accuratius, an & quatenus conatus effectum non secuto puniendus sit? *Ingens de hoc inter Dd est controversia.* Nos in tanta opinionum varietate illorum sententiæ, utpote veriori accedimus, qui effectum non secuto, tunc demum conatam puniendum statuunt, quando in criminibus atrocissimis ad actum aliquem exteriorem processit: quem pro varietate criminum, quandoque propinquum, quandoque propiorem esse oportet, quod prudens iudex facile dispiciet, *per l. quisquis C. ad l. Jul. Majest. l. is qui cum telo. ad l. Corn. de Sicar. Menoch. de arbit. jud. cent. 4. casu 60. num. 14. 15. 20. & seqq. ubi plures casus recenset in quibus affectus pro effectu punitur Prosp. Farinat. in prax. crim. lib. 1. tit. 5. q. 37. n. 121.*

V.

An autem hic conatus ordinaria tanquam effectu secuto: an vero extraordinaria tantum pœna puniendus sit? iudicis arbitrio relinquimus, qui quoties de puniendo conatu in atrocioribus criminibus agitur, præter ipsius criminis gravitatem, actus ipsos, ad quos perductus fuit & cæteras circumstantias diligenter perpendet, & secundum eos Reum condemnabit, pœnamque vel minuet vel augebit, ita *Baldus. conf. 294.* Ergo conatus actui proximus gravius punietur, quam propinquus tantum vel remotus. *Gomez. variar. resolut. tom. 3. c. 3. num. 11. Menoch. dist. lib. 2. cent. 4. casu 360. n. 23. prope finem.*

VI.

Quamvis in atrocissimo, dico, læsæ Majestatis crimine.

secundum rigorem juris, conatus solus quoque puniatur, etiam si effectus non sit secutus. *l. 3. in ff. & l. quisquis. in princip. C. ad Jul. Majest. Carpzov. in praxi. crimin. p. 1. q. 41. n. 4. Menoch. dict. casu n. 24. Matth. de afflictis in c. 1. vers. & bona committentium. num. 23. & quidem poena ordinaria. d. l. quisquis 5. in pr. in verbis: eadem enim severitate voluntatem sceleris qua effectum puniri, jura voluerunt. l. 8. in pr. C. d. t. l. 1. & 2. ff. eodem Menoch. dictis ll. Tantum enim est adversus perduelles tales odium, ut etiam eum, qui hoc crimen committendum tantum scivit, eadem poena, qua principalis teneri, Dd. communiter tradant, per textum expressum & valde notabilem in d. l. quisquis. 5. §. id quod l. occisorum §. 1. ff. ad Sc. silan. l. unica. §. poenas. Cod. de rapt. virg. confer. Perez. in comm. C. ad l. Jul. Majest. Gomez. 3. V. R. quod tamen Prosper. Farinac. lib. 1. q. 51. n. 69. & 72. & 90. ex Claro ita declarat, nimirum tum demum poenam mortis locum habere in eo, qui non revelavit, quando tractatus intercessit contra personam Principis, vel ejus statum; in aliis autem casibus, puta, si tractatus concernebat tantum modicum Principis praedictum, quod tunc non revelans, mortis poena puniri non debet, sed alia extraordinaria, arbitrio ipsius Principis, secundum Clarum. in dict. quaest. 87. vers. punctus est ad fin.*

VII.

AN autem & quatenus quispiam crimen laesae Majestatis committendum sciens deferre & indicare tenetur? Verius esse arbitramur, quod tunc teneatur, si illud probare possit, alias non. Menoch. dict. cent. 4. cas. 355. n. 10. Farinac. d. q. 51. n. 75. nemo enim deferendo se tantis periculis exponere, tormentisque, quae tanti criminis delatori metuenda, semetipsum subicere tenetur, cum culpa sit se temerarie in discrimen vitae praecipitare. gloss. in l. 9. ex quib. caus. C. in fam. de quibus in l. 3. Cod. ad l. Jul. Majest. estque sapientum tacere, quae probare non possunt. c. plerumq. 2. q. 7. Farinac. q. 5. n. 75. Quamvis hoc casu saltem per modum admonitionis facinus tale decenter detegere, sit tutius, qui ab omni poena se immunem esse vult. Menoch. d. casu 355. n. 12. Farinac. d. q. 51. n. 77. & 78. ubi dicunt, quod si non revelat, adhuc puniendus sit, licet probare non possit, sed non tanta poena, quanta

ta esset puniendus, si potuisset probare: pone enim quod audiverit in platea, vel sibi fuerit dictum, quempiam portam hostibus velle aperire, & sic non credimus talem incidere in tantam pœnam si non revelet, indicare tamen debet, quid audiverit, alias meretur & hic reprehensionem, ita *Boss. de crimen las. Majest. num. 49.*

VIII.

HOc etiam traditur, quod *crimen lasa Majestatis committatur non tantum contra Imperatorem, Reges, Respublicas superiorem non recognoscentes, quod in specie perduellionis crimen dicitur. Bocer. tract. de crim. las. Majest. c. 2. n. 14. verum etiam contra horum Capitaneos, Consiliarios, & Senatores, qui in supremo ipsorum consistorio seu consilio sunt. Carpzov. q. 41. num. 55. & textus est expressus in l. quisquis. in prin. ubi expresse de nece etiam virorum illustrium, qui consiliis & consistoriis insunt, loquitur: Nam & hi sunt & dicuntur pars corporis Principis, seu potius membra illius corporis Imperij, sive Reipublicæ, cujus caput Princeps seu Imp. est in l. 1. §. 1. l. 5. ff. ad l. Jul. Majest. A. B. c. 24. Magnificus Dn. D. Præses in hodeg. Jur. p. 547.*

XI.

Quid autem de reliquis Imperij Statibus, Episcopis, Principibus, Comitibus, & civitatibus liberis, & in genere de statibus Imperij, qui immediate Imperio sub sunt & hæcenus Imperatorem superiorem agnoscunt, an & contra eos hoc crimen lasa Majestatis committatur? Sane qua Principes Electores, rem expeditam esse putamus, nempe crimen hoc adversus eos quoque committi, cum non solum potestatem & superioritatem territorialem habeant, sed & ob specialem sanctionem d. A. B. Tit. 24. verb. so jed mand mit Fürsten in verb. so solle derse lbige als an der Majestät schuldig mit dem Schwerdt gestraffet und alle seine Güter unferrem fisco zugeeignet werden &c. eorum enim collegium Basis & fundamentum Imperij Romani est conferatur rescriptum Imperat. Rudolphi II. gloriosissimæ memoriæ, cujus hæc sunt verba. *Der Chur-Fürsten Hoheit und autorität / mit einnes Römischen Käysers Gewalt und Hoheit / daher sie*

B 3

auch



auch fleust/ist dermassen verbunden/das eine ohn die andere nicht verschmälert werden / auch ohne die andere nicht bestehen kan/ quod adducit *Arum. ad c. 6. A. B.*

X.

Quantum vero ad reliquos Principes, Comites, Barones atque Respublicas, Statusque Imperij attinet, quamvis contra eos hoc crimen non perpetrari multi Dd. propugnarint, ex dicta ratione, quod immediate Imperatori subsint, & specialiter tantum in Electoribus hoc receptum sit per A. B. Contra tamen hoc crimen læsæ Majestatis adversus hos quoque committi, nulli dubitamus asserere, cum *Carpzov. tract. crim. p. 1. q. 41. n. 7. & Rolando à Valle 2. consil. 48. n. 4. & consil. 74. num. 3. & 5. item volum. 3. & hoc (I.)* ex hac ratione, quia expresse constitutum est in *l. quisquis Cod. ad l. Jul. Majest.* Crimen Majestatis committi ab eo, qui de nece Consiliariorum & Senatorum Imperatoris cogitat, eo quod pars corporis sint: quis autem rerum publicarum & Status Romani Imperij tam ignarus est quem prætereat, Principes, Comites, Barones, Respublicas liberas, uno verbo, status Imperij plusquam Consiliarios Imperatoris esse, utpote qui de utilitate & commodo Imperij in comitiis Imperialibus una cum Imperatore consultant, imo non modo de utilitate Imperij deliberant, sed etiam quasi in consortium potestatis adsciti, conjunctim tantum potestatis obtinent in comitiis, quantum penè ipse Imperator. Hinc etiam in Imperij Constitutionibus consensum eorum expresse annotatum legimus, ut in Recessu de anno 1512. 1500. 1521. & passim, ubi semper hæc clausula apponitur: *und haben wir uns mit den Ständen/und sie hinwider mit uns verglichen/* qua conditione etiam membra Imperij dicuntur. (2.) Quod potestatem habeant in personis ac rebus ditionum suarum, quam recentiores vocant, superioritatem territorialem sive Jus Principis, jus superius, die *lands Fürstliche / oder die lands hohe Obrigkeit/* cujus respectu considerantur, ut singuli. Ex quibus patet, Principes & Status Imperij tam conjunctim & una cum Imperatore, in decretis comitiorum, quam ut singuli exercitio

tio Jurium majestatis potestatisque Jus Principis in Jus territorii habere, quæ uti tam vera quam verissima, nemo negabit Majestatis Crimen suo modo etiam committi, quando in necem Principum, statuumque reliquorum Imperij, qui hætenus de Majestate Imperatoris participant, conspiratur. conferatur *Carpzov. in prax. crim: p. 1. q. 41. n. 42.*

XI.

AN autem criminis læsæ Majestatis Rei fiant, pœnamque juxta sæpe dictam *l. quisquis. C. ad l. Jul. Majest.* incurrant ij tantum qui cives & subditi sunt Imperij? Respondet *Anton. Matth. tract. de crimin. ad l. Jul. Majest. c. 1. n. 9.* quod hac parte concordibus suffragiis traditum, crimen majestatis ab illis duntaxat committi, qui supremæ alicujus potestati natura vel jure suo subjecti sunt. post *Gomez. Clar. §. læsæ majest. n. 6.* ubi ita judicatum fuisse testatur. *Prosp. Farin. dicta q. 51. n. 80. confer. Franc. Cyriacus Niger. in disquisit. Jurid. pro Duce Mantuae. art. 7. n. 188. & n. 203.*

XII.

PRogredimur nunc ad alia, notata haud minus digna. Et ex illis i. proponimus hanc quæstionem: *si quis in rixa ab uno lethaliter vulneratus, ab alio autem superveniente postea plane internecioni datus, an uterque l. Corn. de Sicar. reus efficiatur?* circa hanc affirmativam sententiam arbitramur veriolem, per textum in *l. ita vulneratus. 50. ff. ad l. aquil. l. 1. §. divus ff. ad l. Corn. de Sicar. Menoch. lib. 2. cas. 362. n. 11. Covar. in clement. si furiosus. p. 2. n. 4. vers. tertia subjicitur species,* ubi hanc distinctionem Communi Dd. calculo approbati testatur: verum quid, si de primo vulnere dubitetur, fuerit ne illud lethale an non? & utrum ex eo mors subsequuta necessario sit? dicimus & hoc casu priorem percussorem teneri tantum de vulnere; posteriorem verò de occisione per text. in *l. Mela. 15. §. Celsus scribit. ff. ad l. aquil. Menoch. dict. l. num. 12. Gail. 2. obs. 109. n. 1. & seqq. Clarus §. homicidium n. 37.* atque his casibus si homicidium culpa factum sit, extraordinaria punitur pœna, per text. d. *l. 1. §. divus.* quia ut quis ordinaria *l. Corn. pœna afficiatur,* necesse est dolum intervenisse, ut patet ex *tot. tit. ff. & Cod. ad l. Corn. de Sicar. sin vero dolo commissum, ordinaria pœna*
locum



locum habet: rixa enim ordinariam homicidij pœnam non minuit, ut prudenter statuit *Carolus V. Imp. gloriosissima memoria in const. crim. art. 148.* so etliche.

XIII.

Quid vero, si in rixa unus à pluribus vel necatus vel ita percussus, ut ex illis vulneribus mors subsequuta sit; ex quo verò ictu in specie mortuus, non constet; Medici autem, quod hic supponimus, singula vulnera æque gravia & lethalia iudicent, utrum omnes pœna ordinaria l. *Cornel. de Sicar. teneantur?* Nos, salva aliorum autoritate, secundum rigorem juris regulariter omnes teneri pœna ordinaria arbitrarnur, per d. l. item *Mela. II. §. sed si plures, ff. ad l. aquil. Carol. V. in dict. Constit. crimen art. 148.* in illis verbis: *Wäre aber der Entleibte durch mehr dann einen / die man wuste / gefährlicher weiß tödtlich geschlagen / geworffen und verwundet worden / könnte aber nicht gewislich machen / von welcher sonderlichen Hand und That er gestorben wäre / so seyen dieselben / so die Verletzung wie obstehet / gethan haben / alle als Todtschläger / vorgemeldter massen zu dem Tode zu straffen /* quod tamen non procedit, si tantum uno vulnere accepto obierit, nec constet quisnam illud inflixerit, aut qui author rixæ fuerit; nam hic in dubio homicida præsumitur, *Mench. d. Cas. 3. §. 2. n. 20. Farinac. lib. 1. crim. tit. 5. q. 49. n. 108.* eo tamen casu ordinariam non incurrunt, sed solus author rixæ ut Reus condemnatur, cæteri autem de ope & auxilio tantum. *Mench. dict. casu 262. n. 33. & 19. & per text. dict. const. Carol. V. sub. art. 148. atq; ibi interpretes.*

XIV.

Quid autem, si homine occiso reperto, de interfectore certo non constet, an contra suspectum de hoc perpetrato homicidio sufficiens ad torturam sit indicium hocce, si in ejus conspectu cada ver occisi sanguinẽ emittat: Nos hoc indicium quidem magnum, sed id per se solum ad torturam sufficiens esse, ex comũiori Dd. sententia negamus, vide *Mench. d. lib. 2. cent. 3. cas.*

3. cas. 270. n. 16. & 17. Prosper. Farinac. lib. 2. crim. tit. 5. q. 52. num. 154. 156. Gomez d. l. & per ea quæ habentur in dicta Constit. Crimin. Carol. V. art. 27. ubi ex indiciis art. 25. & 26. recensitis nullum per se solum ad torturam sufficere, statuit, nisi plura simul concurrant, in illis verbis: deroselbtgen argwonigen thett oder stuck, ist keines allein zu redlicher anzeigung / darauff peintliche Frag mag gebraucht werden / genugsam. Ergo multo magis hic idem dicendum erit, cum hoc indicium sit plane incertum ac dubium.

XV.

NOctambulones, quod ob perpetratum homicidium pœna ordinaria l. Corn. de Sicar. non sint puniendi, Dd. concordibus suffragiis tradunt, & ratio est, quia talis furioso similis, rationisque usu caret, l. 1. §. furiosus 3. ff. de acq. poss. consequenter maleficium non committit. Gail. lib. 2. obs. 110. n. 30. si tamen sciens, se consuetudinem de nocte surgendi, armaque arripiendi habere, illa non removeat, nec debitam diligentiam ad evitandum consequens malum, adhibeat, sicque homicidium committat, puniendum quidem eundem, sed extraordinaria pœna, tradit dict. loc. Menoch. de arbit. Jud. t. 2. c. 4. cas. 327. n. 34. & 5. Tiraquell. Tract. de pœn. causa. 5. Anton. Matth. tract. crim. proleg. c. 1. n. 13.

XVI.

Videamus de lamiis, quid de his statuendum, maxime quæ quidem DEum ab negantes, dæmoni fidem promiserunt, seque eidem manciparunt, cumque dæmone rem veneram exercuerunt: cætera vero nec hominibus nec segetibus nec animantibus nocuerint? Memini enim à nonnullis in dubium vocatum, an hæc quoque ultimo supplicio sunt afficiendæ & puniendæ. Affirm. Farina. lib. 1. crim. Tit. 141. n. 26. Matth. Steph. ad Const. Crim. Carol. V. Wesenbec. & Vult. in S. item & tom. Inst. de publ. jud. n. 8. Carpzov. tract. crim. p. 1. q. 49. n. 23. & 24. ubi etiam addunt Const. Electoral Saxon. p. 4. §. 1. quæ hæc verba habet: **Das dieselbe Personen / ob sie gleich mit Zauberey niemand Schaden zugefüget / mit dem Feuer vom Leben zum**

C

Tode

Tode gerichtet und gestraffet werden sollen. Dicuntur enim & tales hostes humanæ salutis, & humani generis inimicæ l. *eisi excepto. & l. fin. Cod. de malefic. unde Salvianus lib. 7. de provident. infert. quod lamia si flammis exurantur, suis criminibus concrementur.*

XVII.

AN autem, ut pœnam mortis eas condemnare iudex possit, sufficiat sola talium veneficarum confessio propria, etiam si de corpore delicti non constet? Confitemur, non æquè liquere. Pro affirmativa respondet *Prosp. Farinac. dict. lib. crim. q. 2. n. 26. Mascard. de probat. volum. 2. conclus. 859. n. 4.* qui tamen eam fallere dicit, si e. g. dicerent, se infantes occidisse, segetibus, animantibusque nocuisse, & tamen tale quidpiam unquam contigisse, demonstrari nequeat, *per text. l. 1. §. item illud. ff. de Sct. Silan. l. divus Trajanus. ff. de milit. test. Carol. V. dict. Const. art. 52. man solle dann nach suchen / ob man solches finden könt. & 54. so soll alsdann der Richter an die End schicken / ita & Farinac. dict. lib. crim. tit. 1. q. 2. n. 26. ubi dicit eis non esse credendum, nisi vere & aperte illos fuisse morbo quodam suspecto mortuos, & id aliunde quoq; constet, quam ex illarum confessione.*

XVIII.

Circa injuriarum delictum & actionem, disquisitione quoque dignum arbitramur, an si quis injuriarum actione ad damna & interesse agat, si per injuriam talem offenso forte etiam illata cicatrix, atque inde deformitas quædam notabilis remaneat, utrum hoc quoque nomine agere, & quanti sua interest æstimare possit? Respondemus, non posse, *per text. expressum l. fin. ff. de his qui effud. & vel dejec. hac l. ff. si quadrupes pauper. Gomez T. 5. A. I. cap. 6. n. 1. quia liberum corpus nullam recipit æstimationem: d. l. fin. ff. qui effud. vel dejec. Farinac. de dil. & pœn. lib. 1. Tit. 13. q. 18. n. 98. Sed quid in ea, quæ se adhuc in capillo gerit foemina? disputant Dd. Nos hoc casu affirmantium sententiæ deferimus, cum negari non possit, hætenus ipsius interesse, quatenus ob deformatam talem notam non tam facile commodam cuiquam nubendi obtinere possit occasionem, saltem*

saltem ob id pinguiore dote opus habeat. vid. *Farinac. lib. 1. Tit. 3. q. 18.* item & in seruo & animali, in his namque cicatrices & deformitates maxime considerantur & æstimantur, minori- que propterea pretio veneunt.

XIX.

Sane quatenus propter vulnustale, gravior æstimatur inju- ria, & exinde dicatur atrox? docet Jctus in *l. prator edicit. §. fin. l. item. apud Labeonem. §. quod ait prator l. vulneris ff. de injuriis §. atrox. Inst. eodem. Menoch. lib. 2. cent. 3. cas. 263. num. 27.* si quis enim alicui oculum eruit, atrox dicitur injuria, *Farinac. l. 1. q. 18. n. 97.* ubi quoque affert, tale vulnus tanquam atrox & grave de- lictum atrociter etiam & graviter magis, quam cætera vulne- ra in alia corporis parte illata coercendum esse, & puniendum, & jura & Dd. communiter fatentur, in *d. l. prator, circa fin. & in l. vulneris ff. de Injuriis. l. fin. ibi. cicatricem ff. de nox. act. & l. ex hac, ubi deformitas, unde hac qualitate cum aliis junctim sumpta à judice æstimatio & condemnatio fiat, per dicta jura & *Farinac. dicto loco.**

XX.

Offensor qui alteri Injuriam intulit à Judice petere potest, ut sibi cautionem de non offendendo vindicandoque injuria, ne que per se neque per alium offensus præstet. *per tex- tum capitalem in l. denunciarius Cod. de his qui ad eccles. confug. l. illicitas §. ne potentiores ff. de off. præf. l. si qua per possess. Cod. de transact.* quod utrum extendendum etiam ad hunc casum, ut judex of- ficio suo partes compellere possit invicem hanc securitatem vel cautionem præstare? à nonnullis disputatur: Arbitramur autem optimo jure hoc facere posse, *per arg. l. congruit & d. l. illi- citas ff. de off. præf.* adeo ut si eam præstare nequeant, quia nec bo- na immobilia possident nec pignora vel fidejussores dare pos- sunt saltem juratoria cautio ab illis sit exigenda, *auth. general. Cod. de Episcop. & cler. §. sed hodie Inst. de satisfactione.* Atque hæc sunt quæ ex libris terribilibus delibare & ad disputandum publicè proponere voluimus, DEO Ter Optimo Maximo,

C. 2.

DEO



DEO Triuni & omnipotenti ex quo omnia & per quem
omnia, submissas agimus gratias, eumque ut studia nostra
post hac, quoque sua divina gratia fovere velit, supplices
in vocamus. Cui etiam sit laus honor & gloria
in sempiterna secula.


F I N I S.



Strassberg, Diss., 1674-75

X 2617022

VD 17



C. I. N. D. N. I. C.

E I K A Σ

Ex

Libris Terribilibus delibatorum

Quam

Divina Adjuvante gratia,

Sub Præsidio,

V I R I

Magnifici, Nobilissimi & Consultissimi,

Dn. JOANNIS REBHAN,

Jcti, Sacr. Cæs. Pal. Comit. Cap. Colleg. ad D. Tho-

mæ Decani, Facult. Jurid. Senioris, Cod. & Feud. Professor.

Ord. nec non diversorum Imper. statuum

Consilarii, &c.

Domini Patroni ac Præceptoris

sui summè colendi

In Auditorio Publico Majori

Publicæ ac Solenni

Eruditorum disquisitioni submittit

JOANNES WALTHERUS REICH,

Tabern. Alsat. Author & Respond.

Die 6. Mensis Decembris Anno M DC LXXV

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS WILHELMI TIDEMANNI,



1675, 12

31

20

us e-

as

10

B.I.G.

Farbkarte #13

